

1612 *exscindantur, quin omnia aggrediatur, experiatur, efficere Senatum non posse: id & jus exigere, & ad concreditum sibi a Deo Optimo Maximo populorum regimen spectare: quapropter unum tantum superesse, ut si ea, quæ per omnium ora de Ferdinandi pietate ac religione circumferuntur, vera sint, hoc consccleratorum hominum genus e suis oppidis, locis, litoribus expellat; sartam semper atque inviolatam ei amicitiam cum Republica futuram.*

Dum hæc agerentur, Pragæ inter Matthiæ Imperatoris præconsultores diversis sententiis disceptabatur. Erant, qui, cognititis, quæ nuper in Istris acciderant, Ferdinandi agros invadi ac diripi minime ferendum dicerent: *vim vi repellendam, cogi milites, in ditiones Reipublicæ excursiones faciendas, censerent: bello Pannonico claros duces, fortes milites, omnibus laboribus ac periculis duratos atque assuetos, non defuturos; Germaniæ populos Italiæ invadendæ cupidos avidis animis occasionem arrepturos.* Alii contra mollius agendum arbitrabantur: *Non ejusmodi temporum conditionem esse, ut dubia cum Rege Turcarum pace, in diversas factiones Germania distracta, ad arma deveniendum sit: facillima bellorum initia, incertos exitus esse: Venetos auro, viribus, amicis præpotentes: consilio potius ac lenitate utendum, ne exorta dissidia in christianæ reipublicæ periculosum atque exitiale bellum erumpant.* Eam sententiam Barbitius tuebatur, quam Melchior Clefeliuss, Viennæ Archiepiscopus, cui summam rerum consiliorumque Matthias demandaverat, amplexus est. Itaque, Queva petente, ut utrimque ab armis cessaretur, quo postea amice de remediis adhibendis, deque Uscochis amovendis ageretur: jam enim Cæsari statutum esse, ut quacumque ratione omnium diffidiorum fibræ evellerentur: Senatus, usitato adversus piratas maritimo pugnae genere retento, ut terra tantum arma amoverentur, assensus est; ea quoque, si piratæ pellantur, amoturum pollicitus. Sub id tempus Augustinus Canalius, legatus, Jaderæ excessit; cumque rerum conditio poscere videretur, ut Senatori provecto, maximisque in rebus exercitato ea provincia demandaretur, Philippus Paschalicus, qui superioribus annis præferoces piratas perdomuerat, Illyrici, Epiri, Istriæ legatus est creatus; eique summum

im-

Augustini
Canalis ob-
itus.

Philippus
Paschalicus
Canalis
suffectus.